POST IUSTA FUNEBRIA
BONÆ INDOLIS BONÆQUE SPEI
ADULESCENTULO
IOANNI GERET
DIE XIIX. IUL. AN. M. DCC. XXXIV.
SOLENNITER PERSOLUTA
VIRO MAX. REV. CLARIS. DOCTISSIMOQ.
DOMINO
C. A. GERET
SERENISS. REG. BORUSSIÆ
CONSIST. ZAMBIENSIS CONSILIAR,
AC REV. MINIST. THORUN. SENIORI
ET PAST. PRIMAR. MERITISS.
FAUTORI MULTIMODIS VENERANDO
CARMEN GERONTICUM
SUBMISIT
IAC. ZABLERUS Gymn. PP.

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

SÆpe ego libravi veterum momenta ſophorum,
Ut deceat juſto fomenta adhibere dolori,
Morte immatura quoties aboriſcitur infans
Vinnulus, aut gnatus dignus viridantibus annis,
Nondum perfructus vitai dona, futurus
Spes generis, fulcrum patris, & columen patriai.
At quando attente depaſcor dicta veterna,
Quamlibet aiternis cartis claranda putarunt,
Aureaque in templis conſecravere nepotes,
Plumbea deprendi, vel aranei tenuia fila,
Ac veluti pappos volitare per aera vaſtum.
Tullius Arpinas, olim quem Roſtra tonare
Audierunt, leviter vitai volnera curat,
Et Platona initio ſequitur, mox omnia reicit
Dogmata, contentus divinæ particulam aurai
Mentem edixiſſe, excelſumque peteſſere numen.
Quod tamen hoc numen clueat per ſomnia prodit,
Tempea heroum, qua Theſeus Heraclesque,
Romulus & Scipio, Decius, virtusque Camilli
Gramine colludunt jocundanturque viceſſim.
Tum natura parens ortumque auctumque miniſtrans,
Mœnia quæ mundi, quæ continet univerſum,
Extra quam nihil eſt, in quam prognata reſolvi
Extremus labor eſt, ut quod ſpecimus pereat nil.
His Stoa prælusit, Marcus tandem Induperator
Ex parte æternam naturam abjudicat almæ
Menti, ſubdubitans ſive in ſua poſſe reſolvi
Sponte elementa animam, per cauſas corporis omneis
Dispulſam, & leti portas cunctarier ante;
Sive deo miſceri, & adire Acheruſia templa,
Hinc iterum emerſam cœli ſublima tenere.
Omnibus his Epicurus peior, ſit licet ille
Magnis elogiis mactus, qui ingenio omnis
Præſtrinxit, ſtellas exortus ut æthereus ſol.
Hic docuit. quicquid dias in luminis oras
Exoritur, natura iterum perimi ſepelirique.
Auſus & endogredi ſcelus, omnem relligionem
Obtrivit, longe extra flammea mœnia mundi
Procedens, atque impia diſpergens elementa.
Hæc elementa illi ſunt corpora ſuntque minuta
Semina, lævia, deinde rotunda, atque apta moveri
Protenus, inſtar aquæ ut tantillo momine fluctuent.
Hinc natura ſibi quoniam compaginat aptam
Molem corporis, hinc animi qvia terna facultas
Conflata eſt, & quarta omnino nominis expers,
Qua neque nobilius quidquam neque tenuius exſtat;
Credidit am Grajus gigni cum corpore, & una
Creſcere quam tacite pariterque ſeneſcere mentem,
At quando penetrant in eam contagia morbi,
In leto natant oculi, tardeſcere lingua
Incipit, atque æger moritur quom particulatim;
Tunc animam ejectis extra vitalibus auris
Diſcidium facere ac reſoluto corpore ferri,
Qua primæva elementa vocant, quave inſinuant ſe.
Hæc ideo catus effinxit ſcriptisque dicavit,
Neu foret æternas pœnas in morte timendum.
Hæc hominis ſcita ut deceat diſcingere, carta
Fors anguſta negat. tamen eſt ſine fine dolendum,

Quod

Quod primi proceres sua nomina subscripsere,
Quamlibet his usu ingenioque recocta foret mens.
Tanta est erroris pellacia! tam cupienter
Harpagat ættonitam mentem, immanescere suadet.
Hoc breviter dixim, qvamvis variantia magna'st
Consultis physices, ratio & depellere falsum
Neqvita est doctis; satius tamen esse putassim
Alma effata sequi sanctum per didita cætum,
Atque ipso delapsa polo, quæ dicere multis
Hic non suppeditat, tamen addere quam juvat unum.
Si naturai mentem generascere morti
Obstrictam placuit, si post funebria justa
Nil est quod metuat, speret, delectet habendo;
Rem sibi conflet, conduplicet sibi fœnus avarus,
Luxuries profliget opes quas strenuat alter,
Conturbet censum, mersetque in pocula mentem,
In Venerem putris svavi se volnere tortet
Viresque eruncet, dum vel redigatur ad Irum,
Frigida vel vitai effetum pausa sequatur.
Imo devotare opus est hoc dogma Epicuri,
Nam verum infuscat nymfisque falerna maritat,
Et generosum affixa nihil persentit humo mens.
Nos haud inflammat Graiorum querquera febris
Dogmate divino madidos docilesque vicessim,
Quid delirarint veteres doctique petrones.
Ast quia concedi nulla ratione potestur,
Inter enim cursant absurda atq. impia multa,
Manibus inferiæ quoties mittuntur, ad ipsam
Posse animam extendi aiterni exitii vim.
Nam velut avolsis radicibus frundifera arbos
Abstirpata suo emoritur de corpore trunci;
Sic anima extincta pereunt solatia quæque,
Omnis spes ancisa iacet, perit arrha salutis.
Qvare omnis leti præclusa est janua menti,
Et quia nata deo est, ad eam non pertinet hilum,
Proporro gaudet cœlestis imago fruisci
Numine ter sancto, longumque æternat in ævum.
Hæc doctrina dei ad verum dominantior exstat,
Rorantesque genas lacrumis siccare potessit.
Hanc VENERANDE VIRUM sermonibus instillasti,
Sæpe monens, semper moniturus, lumen adire
Vitai ideo, ut decumanis fluctibus olim
Evictis portum exsulio teneamus ademto.
Sæpe ergo memini perfusum numine dicere:
Mortales cupitis casus escendere, amici,
Et vellicordas animis evellere curas:
Imitus hæc servate animisque recondite vestris.
Vita hæc mancupio nulli datur, omnibus usu.
Temporis æterni nobis non unius horæ
Ambigitur status, ac properanter tendimus omnes
Meliorem ad patriam, fortuna ubi volvere nescit
Et raptare homines, ubi vos securius ævum
Cœlorumque indepta qvies e pectore demet
Mœrorem, & quicquid mortales lancinat ægros.
Huc, dum genua virent, animis contendite puris;
Huc, ante impatiens morbus quam inviscerat ullus,
Vitaique parat leto discludere fontem,
Nam mora parva datur, sanctas præmittite mentes.

Tute

Tute hoc præmeditans noli ſuccumbere luctu,
Defunctus nuper quem Filius imperitavit.
Filius ille quidem faciem & Tua volta ferebat,
Sperabaſque domum hoc partu diteſcere poſſe,
Qui potis eſſet ſolari & munire ſenectam.
Hunc gremio Matris revocavit dia poteſtas,
Morbisque anclatis meliori ſede locavit.
Oh quam deſubito medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.
Sed gnati gaudere bonis nonne æquius eſſet?
Non jam, quod caſci ingeminarunt auribus olim,
Clamabo ad raucam ravim trivialia fundens:
Mortem evitandi non eſt humana poteſtas:
Quod generaſcit humus, terrena alimenta quod augent,
In tellurem iterum redit immoriturque parenti:
Bellonam effugit, tum qvævis triſtia mundi
Proculcat pedibus, ridetque crepundia ſecli.
Huc adverte animum potius, FAUTOR VENERANDE,
Quas voces gnatus præcelſo ab ſidere mittat:
O cari genitores, tandem abſiſtite luctu.
Veſter eram merito genituræ & pignus amoris,
Pignus ſed domino nativo reddere juſtum'st.
Labe infectus eram, ſed Chriſti ſangvine tinctus
Ad cœlos redii melior planeque redemtus:
Iamque ultis oculis contemplari aurea tecta
Mi licet, & ſuperis totoque Tonante fruiſci.
Vos curæ exercent & morbis membra cientur,
Vos Mars teſcus habet per & omni aſpredine fundit,
Horrida vis leti circumſtat & intus adacta
Graſſatur per viſcera, tandem lumina claudit.
At me celſa tenent penetralia, lux ubi perpes,
Nulla ubi bruma furit nec veris ſtemmata delet,
Nulla ubi caligo oculorum ſincopat uſum,
Luctus abeſt omnis, nulla eſt retinentia leti.
Si mihi vivendo vivacia vincere ſecla
Haud licuit, nec cernere fulgida tela diei;
Reddita ſed patriæ & ſublimi plena deo mens
Late hinc ſtellarum populum deſpectat, & audit
Cœleſtum citharas ſonere æternosque triumfos.
Hæc ait, & manibus perfuſus lumine plaudit,
Tempore inante acto miſere quom duxerat ævum.
Tete igitur permitte Deo luctumque repone.
Triſtia vitai validos perrumpito nodos,
Neu magis implicitus vel morbis endopeditus
Tute tibi noceas & pauſes corde vigere.
Imo in LOTHARIO Tibi læta ſenecta recumbat,
Vertilibusque annis cernas Heliconis onuſtum
Divitiis, perſtet divina faventia eiidem.
Sæpe Tibi dulces occurrant oſcula Natæ
Præripere, & tacita pectus dulcedine mulceant.
Nulla dies infeſta Tibi tot præmia vitæ
Auferat, ut poſſis factis florentibus eſſe
Præſidio, gentisque tuerier incrementa.
Quod reliqvum eſt, perſtet firmata valentia corpori,
Sint anni virides, & ſucci plena animai
Vis Tibi ſufficiat vireis, Tibi tarda ſenecta
Serpat, & hæc tarde vitai clauſtra reſolvat.